



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. VI. Vtrum habens Revelationem suæ Damnationis, possit sperare,
aut licitè desperare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

etiam obiectum formale est Bonitas Dei ut à nobis possidenda : ergo talis actus jam est actus virtutis Theologicæ : non nisi Spei : ergo &c.

110. Respondet Lugo, talem actum elici ab alio habitu, & ideo non esse Theologicum; quia licet pro motivo formali habeat Deum, non tamen sistit in Deo, tanquam in fine CUI. Sed contra. Quia neque actus Spei propriè dictus & primarius sistit in Deo ut fine CUI. Item, actus fidei nullum habet finem CUI: quia est actus intellectualis: ergo hoc non requiritur ad actum Virtutis Theologicæ.

Respondet iterum, saltem illos actus sistere in Deo, & non referri ulterius. Sed contra. Actus Spei propriè dictus & primarius, refert potentiam & bonitatem Dei, tanquam medium sibi utile, ad ipsum sperantem tanquam finem CUI. ergo hoc non obstat actui Virtutis Theologicæ.

111. Confirmari posset Conclusio. Quia, si dicamus, Habitum Spei manere in Patria, salvatur, quomodo Beatus nullius habitus supernaturalis iacturam faciat. Nam licet amittat habitum fidei, hæc tamen non est iactura, sed in melius commutatio, quia fidei succedit Lumen Gloriæ: atqui secundum adversarios habitus Spei non commutaretur in alium habitum, sed amitteretur; quod licet in se non ostendat grande inconveniens, nemo tamen facile negaverit, convenientius esse, non dari in patria pauciores habitus quam in via.

112. Obijcit Lugo verba S. Pauli 1. Cor. 13. *Nunc manent Fides, Spes, Charitas*: & deinde dicit, quod Charitas nunquam excidat: ergo indirectè dicit, Spem excidere etiam quoad habitum. 2. S. Paulum posse intelligi de solo actu Spei primario, quo speramus beatitudinem nondum possessam; quo sensu dixit, Fidem esse sperandarum substantiam tertium.

114. Queritur 2. An Spes fuerit in Christo. Negant aliqui Thomistæ, sed communior Sententia affirmat, cui etiam adheret Lugo. Nos facile admittimus, sicut admisimus in alijs beatis, saltem quoad illos actus, qui non præsupponunt essentialiter obscuritatem fidei.

Queritur 3. De animabus Purgatorii, de quibus solus Lorca in negativam inclinat, ceteri cum S. Thoma admittunt, quamvis P. Esparza de his animabus nihil expressè dicat. Ratio prima est: quia licet animæ illæ habeant certitudinem de beatitudine, ea tamen est certitudo Inevitentæ, quæ non pugnat cum fide, ut vidimus. Ratio secunda est, quia Habitum Spei manet in Beatis, ut nobis probabile visum est: atqui animæ purgatorii omnes fient beatæ, ergo &c.

CONTROVERSIA VI.

Utrum habens revelationem suæ damnationis, possit sperare, aut licitè desperare.

114. Supponitur ad hanc quæstionem (quæ sine præiudicio Theologicæ posset intermitteri)

posse alicui adhuc viventi revelari suam reprobationem. quod, etsi S. Thomas de potentia absoluta concedat in vno loco. *de Verit. q. 23. a. 8. ad 2.* in alio tamen in 1. *dist. 48. q. 1. a. 2.* dicit esse quasi impossibile. Superius jam adnotavi, quod talis revelatio quantumvis supernaturalis esset saltem quoad modum, ab ipso tamen reprobo non posset credi actu Theologico & supernaturali, tum ob rationem ibi allatam, ex fundamento P. Esparza, quod nimirum talis actus fidei constitueret hominem in termino damnationis: tum quia omnis actus supernaturalis debet ex se esse aptus ordinare hominem tanquam medium ad finem ultimum, cum sit donum Dei specialis ordinis, nempe supernaturalis; talis autem actus fidei esset essentialiter connexus cum futura damnatione, ergo repugnat esse ex se medium ordinativum ad ultimum finem. Tum denique quia quidquid homo per actum fidei in hac vita credit actu supernaturali, debet posse in altera vita videre visionem beatæ, quia fidei succedit Visio: atqui suam damnationem non potest quis videre per per Visionem beatam, ut patet: ergo ab ipso reprobo non posset futura damnatio credi actu Theologicè supernaturali, exigente nimirum procedere ab Habitu infuso Fidei, quamvis eadem revelatio alijs facta posset credi actu supernaturali, v. g. si, ut multi putant, Christus alijs Apostolis presentibus revelavit reprobationem Judæ, illis verbis: *Melius illi esset: &c.* fuit revelatio credibilis ab Apostolis cæteris actu supernaturali, non autem à Juda, qui solo actu naturali credere potuisset, ob rationes allatas.

115. DICO 1. Cum revelatione damnationis ejusque assensu fidei, non potest stare Spes salutis. Ita cum S. Thoma communiter Theologi, quidquid contranitur P. Ripalda, volens posse Spem stare cum tali assensu, in quantum spes non prærequirit necessariò judicium de probabilitate salutis, sed sufficit apprehensio suaiva. Probatur Conclusio 1. Ab Experientia: quis enim potest erigere animum ad sperandum id, quod certissimò scit non esse futurum? Probatur 2. à priori. Spes innititur iudicio de probabilitate objecti; sed simul cum assensu firmissimo & certo de futura damnatione, non potest consistere iudicium prudens probabilitatis de futura salute, quale iudicium prærequiritur ad Spem: ergo &c.

116. DICO 2. Imò talis homo memor hujus revelationis, licitè desperaret desperatione positivâ. Probatur. Illa res licitè nihili sit, quam certò constat in istis circumstantijs nullam habere æstimabilitatem: sed futuritio beatitudinis respectu talis hominis, nullam haberet æstimabilitatem, utpote impossibilis: ergo licitè desperaret, juxta naturam desperationis explicatam.

